



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 An relatio prædicamentalis distinguatur actu, & in re ab innibus entibus absolutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

mul dicit coexistentiam eorū: quod vero ad hoc co-
sequatur peculiare accidens, quod sit relatio realis:
nihil videtur referre ad vniuersi perfectionem.

Questionis resolutio.

XXV.

Nihilominus tertiam, & communem sententiam,
vt veram & in Philosophia certam supponimus,
quam nunc maxime auctoritate confirmamus. Ra-
tio vero eius & ostensio, potissimum sumenda est ex
illis denominationibus relatiuis: addendo duo. Pri-
mum est, illas esse tales vt accidentibus creatis ab-
solutis, possintq; variari in aliquo subiecto sine ami-
ssione forme absolute, quod satis constat in omnibus
fere exemplis supra adductis. Secundum est, has non
esse denominationes mere extrinsecas, & in hoc est
difficultas, pendet tamen ex infra dicendis: oportet
enim prius modum entitatis talium relationum, &
denominationum declarare.

SECTIO II.

*Virum relatio realis predicamentalis distinguatur
realiter, vel modaliter, ac ex natura rei à sub-
stantia, & omnibus accidentibus
absolutis.*

I.



Ecce questio maxime necessaria est ad
explicandū quo sensu relationes crea-
te sint aliquid reale, & quid etiam sint,
quamve entitatem habeant. In eaque
varie sunt opiniones.

*Prima opinio ponens distinctionem rea-
lem, reuocatur.*

II.

Prima docet relationem realem semper esse re-
distinctam realiter à suo subiecto, & fundamento:
Hæc est opinio veterum Thomistarum, Capreoli in
1. dist. 30. quest. 1. Caiet. 1. par. q. 28. art. 2. Ferrar. 4. con-
tra Gen. c. 14. Qui fundantur in verbis D. Tho. eis-
dem locis, & quest. 8. de potent. artic. 2. & in 1. dist.
33. questione 1. artic. 1. quibus locis constituit differ-
entiam inter relationem creatam, & increatā, quod
prior non identificatur cum substantia, sed est aliter
& facit compositionem cum illa, quod secus est in rela-
tione increatā. Hæc tamen sententia intellecta de
propria & rigorosa distinctione reali, qualis est inter
entitates omnino condistinctas, nullum habet fun-
damentum satis probabile. Nam, quæ ab his aucto-
ribus afferuntur de separabilitate relationis à funda-
mento, aut diuersis mutationibus, quæ in eis fieri
possunt, ad summum probant distinctionem ex na-
tura rei, si tamen aliquid probant: nam probabilius
fortasse est etiam illud non ostendere, vt videbimus
tractando sequentes opiniones. Ex quarum etiam ar-
gumentis, & ex probationibus nostræ sententiæ hæc
opinio sufficienter refutabitur. Quamquam ad eam
reuocandam sufficere possint ea, quæ in principio se-
ctionis præced. proposita sunt: illa enim, vt opinor,
sufficienter demonstrant, relationem non esse rem in
se habentem propriam entitatem realiter distinctā
ea ab omnibus entitatibus absolutis.

*Reuocatur opinio Scoti, quatenus superiori
concordat.*

III.

Atque idem iudicium ferendum est de opinione,
Scoti, in secundo, distinctione 1. questione tertia,
& in tertio, distinctio. 8. questio. 1. quantum ad eam
partem; qua cum præcedenti conuenit. Distinguit
enim ille quasdam relationes, quæ separari nullo mo-

do possunt à suis fundamentis, vt est relatio creatu-
ræ ab alijs, quæ separari possunt, vt est, v.g. relatio si-
militudinis, & has posteriores ait distinguere realiter à
fundamentis, propter ipsammet separationem: illas
vero negat distinguere, quia cū inseparabiles sint, nul-
lum relinquunt signum distinctionis realis, neque a-
liunde apparet necessitas eius. Veruntamen, quod
attinet ad priorem partem, iam supra ostensum est,
illud signum non indicare distinctionem realem, sed
ad summum modalem: maxime quando separatio
non est conuertibilis (vt sic dicā) licet accidet in præ-
senti: nam licet fundamentum possit manere sine
relatione, relatio tamen non potest villo modo manere
sine fundamento. Ex quo potest non leue argumen-
tum sumi contra hanc partem, & contra totam superi-
orem sententiam. Addo præterea, hoc signum in
præsenti non esse sufficiens ad indicandam distinctio-
nem modalem, quæ sit actualis & ex natura rei, quia,
licet denominatio relatiua tollatur manente funda-
mento, & ablato termino, tamen vtroq; manente au-
ferri non potest, & ideo ex illo signo non concluditur
efficaciter, relationem esse aliquid distinctum à fun-
damento, quod ab illo auferatur, quādo cessat illa de-
nominatio, quia potest denominatio illa includere,
vel connotare concomitantiam, aut coexistentiam,
alterius extremi, & ideo cessare, non quia auferatur a-
liquid à fundamento, sed quia auferatur aliquid ex
termino. Vnde, si aliquæ relationes sunt inseparabi-
les à fundamentis, ideo est, quia termini eorum non
possunt non existerre, & ideo positæ fundamentis ne-
cesse est, vt denominationes relatiue insurgant. Vt si
per impossibile manere posset essentia creatā nō exi-
stente Deo, cessaret relatio creaturæ ad ipsum: quod
ergo nunc separari non possit, nō solum est propter
identitatem cum fundamento, sed etiam propter in-
trinsecam termini necessitatem. Ergo è conuerso, ex
eo, quod aliz relationes cessent ablatis terminis, non
recte inferitur distinctio ex natura rei, nisi aliunde o-
stendatur, solam destructionem ipsius termini ad id
non sufficere:

Durandus in hoc sententia non probatur.

Quapropter Durandus in primo, dist. 30. qu. 2. aliā
distinctionem vtitur, scilicet, quasdam esse relatio-
nes, quæ sunt vere habitudines & respectus reales,
consequentes ad sua fundamenta, per se, vel acciden-
tialiter, vt inhærentia per se sequitur ad naturam ac-
cidentis, & tangere aut tangi consequitur per acci-
dens ad corpora quanta: alias vero esse, quæ solū sunt
denominationes relatiuæ, vt esse quale & simile. Di-
cit igitur, has posteriores non distinguere in re funda-
mentis, neq; addere aliquid rei vltra existentiam &
concomitantia vtriusq; extremi absolute, ex qua mu-
tua coexistentia, ait sumi denominationes illas, quas
nihilominus dicit pertinere ad prædicamentum rela-
tionis, & sufficere ad illud constituendum. Et de hac
parte posteriores videbimus. De prioribus autem re-
spectibus ait, distinguere realiter à suis fundamentis, in
quo continet cum præcedentibus opinionibus, & eo-
dem vtitur fundamento, scil. illo signo separabilita-
tis fundamenti à tali respectu. De quo signo iam di-
ctum est, ad summum posse ostendere distinctionem
modalem, neque Durand. amplius intendit, vt legenti
facile patebit: solumq; differt in vsu vocis, appellans
eam realem, quia in rebus ipsis inuenitur.

Quod vero attinet ad hanc partem sententiæ Du-
randi; aduertenda est quasdam subdiuisio prioris
membri, seu realis habitudinis, quam in eadem par-
te breuiter attingit, & consideranda etiam sunt exem-
pla, quibus vtrumque membrum declarat. Nam
quidam respectus (inquit) consequitur per accidens
ad fundamentum, vt tactus ad quantitatem: alius se-
quitur per se, vt in esse, consequitur etiam ad quanti-
tatem, & vtrumq; respectum ait distinguere in re à suo
funda-

fundamento. Sed in priori membro & exemplo, nō videtur Durandus constanter loqui: nam qua ratione ait res dici similes vel equales, non per additionē alicuius respectus ex natura rei distincti: sed per solam coexistentiam vtriusque extremi, & denominationem inde ortam, consequenter dicere deberet, duo corpora sese tangere per denominationem ortam ex coexistentia vtriusque extremi in tali loco, absque aliquo alio respectu ex natura rei distincto: Suppono enim, sermonem esse de tactu pure quantitativo, nam tactus physicus aliquid aliud addit, quamvis non solam relationem, sed actionem physicam vnius in aliud. Tactus ergo quantitativus nihil aliud est, quam propinquitas quadam inter duas quantitates & terminos earum, ita ut nulla alia quantitas interposita sit. Sed hoc convenit duob. corporibus, hoc ipso quod in talibus locis seu spatiis existunt, absque additione alicuius modi, vel respectus ex natura rei distincti, saltem iuxta doctrinam ipsius Durandi, quia eadem argumenta, quæ hoc probare possunt de similitudine, probant de tactu, & de quacunque propinquitate vel distantia, nimirum, quia positis duobus corporibus in talibus locis, & præcisa omni alia re vel modo reali vel per intellectum, vel per diuinam potentiam, impossibile est, quin illa corpora se tangant: ergo est eadem ratio de hac denominatione. Et in vniuersum idem est de omni respectu, qui dicitur per accidens consequi ad fundamentum, nam ille ideo per accidens erit, quia est talis denominatio quæ requirit coexistentiam alterius extremi, quam tamen ipsum fundamentum secundum se non requirit, ut aperte constat in dicto exemplo de tactu. Ergo sepe potest illa denominatio sumi ex coexistentia extremorum, absque alio respectu in re ipsa distincto ab extremis, vel si illa non est sola denominatio, sed intrinseca habitudo, idem erit in omnibus illis, quas Dur. ponit in secundo membro suæ principalis distinctionis.

VI. Quod vero spectat ad aliud membrum de respectu, qui per se consequitur ad fundamentum, & de exemplo inhaerentis, nomine respectus potest significari ipsemet modus inhaerentis, seu vnionis, vel relatio aliqua prædicamentalis inde exorta. In priori sensu verum est, illum respectum distinguere ex natura rei à forma seu re cuius est modus, quæ appellatur fundamentum talis respectus, quod à nobis in superioribus saepe traditum est, & eodem argumento confirmatum. Quamquam illud, quod Durandus ait, scilicet, hunc respectum nullam compositionem facere cum suo fundamento, falsum sit, ut in superioribus saepe dictum est, tractando de distinctionibus rerum & de compositione naturæ & suppositi, & aliis locis. Hic vero respectus non est prædicamentalis, sed transcendentalis, quia ille modus vnionis vel inhaerentis, non est aliquid resultans ex fundamento & termino, sed est modus absolutus, qui per se fieri potest per actionem aliquam, quamvis intime & essentialiter includat respectum transcendentalem ad vniuersalia, quod etiam est in superioribus tactum, & infra ex professo declarabitur, partim in hac disputatione, partim disputando de actione. Consideratio ergo illius respectus in prædicto sensu, nihil refert ad præsentem quæstionem. Si autem sit sermo de respectu prædicamentali, qui resultare censetur inter formam inhaerentem & subiectum eius, & in vniuersum inter ea, quæ sunt vnita; eadem erit ratio de tali respectu, quæ de contractu, similitudine & omnibus similibus, quod nimirum ille nulla res, vel modus realis sit ex natura rei distinctus ab extremis, sed solum mutua denominatio orta in extremis ex coexistentia eorum sub tali modo existendi. Quod facile ostendi potest applicando rationem superius factam. Igitur proprie loquendo de respectu prædicamentali, hæc etiam distinctio Durandi necessaria non est, sed vel dicendum est, omnem relationem

prædicamentalem esse aliquid distinctum, vel non esse.

Quarta opinio de distinctione modali, vel formali relationis à fundamento exponitur.

Est igitur quarta sententia, quæ in vniuersum affirmat relationem realem distinguere actualiter à suo subiecto & fundamento, non tamen omnino realiter ut rem à re, sed modaliter tanquam modum realem ab ipsa re. Hanc opinionem videntur tenere lauell. quinto Metaphysic. quæstione 22. Et Scotus circa prædicamentum Ad aliquid, quæstione 2. Illi tamen non appellant hanc distinctionem modalem, sed formalem, sentiunt tamen esse actualiter in rebus, ante omnem considerationem intellectus. At vero Fonseca libro 5. Metaphysic. cap. decimo quinto, quæstione secunda, sect. quinta, affirmat quidem relationem prædicamentalem distinguere à fundamento, formali distinctione, ita ut habeat proprium esse essentiae & existentiae distinctum ab esse fundamenti: negant tamen illam distinctionem esse realem aut esse modalem, aut rationis tantum, sed quandam aliam mediam, quam significat esse minorem reali distinctione, & maiorem modali. Diuersitatem autem in hoc constituit videtur, quod in distinctione modali modus non habet proprium esse distinctum ab esse rei cuius est modus, in hac vero distinctione formali vtrumque extremum, habet proprium esse. Item in hac vtrumque extremum, est propria entitas: in distinctione autem modali modus non est entitas. Vnde in hoc maxime fundat sententiam suam, quod relatio habet proprium esse distinctum ab esse fundamenti, nam esse fundamenti est absolutum, & in se tantum: esse vero relationis est esse consistens in habitudine ad aliud, ut ex Aristotelis definitione constat.

Ego tamen in primis non percipio distinctionem hanc mediam inter realem & modalem, quæ sit vera distinctio actualis in re, & multo maior quam distinctio rationis, cum dicatur etiam esse maior quàm modalis. Primo, quia in distinctione modali, sicut modus in re ipsa distinguitur ab ipsa re cuius est modus, ita habet aliquod esse proprium, æque & proportionaliter distinctum ab esse ipsius rei, ut tractando de existentia declaratum est. Rursus sicut modus est aliquid in rebus existens, ita dici potest habere entitatem aliquam, prout hac voce significatur quidquid non est nihil: quia vero talis entitas eius est naturæ & conditionis, ut per se nō valeat ens reale primo ac per se constituere, sed necessario debet esse coniuncta & identificata alicui enti, quod efficiat & modifiet, ideo non res sed modus rei appellatur.

Hinc ergo constat nullum posse esse medium in distinctionibus ex natura rei inter realem & modalem, ut in genere supra tractatum est in disputatione septima: Et in particulari declaratur in re de qua agimus. Nam relatio realis, ex eo præcise quod habeat proprium esse, & sit aliquid in re distinctum à fundamento, nō habet quod sit entitas, aut modus realis, nam illud commune est vtrique: ergo præcise ex illo principio non concluditur sufficenter maior distinctio quam modalis, neque aliud genus entitatis præter illud quod in modis realibus reperitur. Deinde vel relatio realis talem habet entitatem, quæ possit intelligi primo ac per se & essentialiter constituta per solam rationem respectivam, ita ut ex hoc capite non repugnet talem entitatem solam esse sine entitate fundamenti: aut vero talem habet entitatis modum, ut intrinsece postulet esse coniunctum fundamento, & suo modo efficiens illud, ita ut per nullam potentiam aliter esse possit. Si primum dicatur, aperte concluditur esse veram ac propriam rem, omnino reali-

VII.

VIII.

IX.

realiter distinctam à fundamento, quod hæc sententia non admittit. Si vero dicatur secundum, non erit illa distinctio alia quam modalis, supposito quod actu sit in eo. Ergo sicut inter illa duo non potest cogitari medium, ita neque inter illas duas distinctiones ex natura rei potest medium excogitari. Aut enim extrema distinctionis possunt in re mutuo separari, & vnum sine alio vicissim conservari, & sic est distinctio realis omnino propria & rigorosa. aut vñ tantum extremum potest separari, & manere sine alio; non vero è conuerso, & hanc distinctionem nos vocamus modalem: præter hos autem duos modos non est alius, quia si vtrumque extremum sit inseparabile in re ab alio, erit distinctio rationis, non vero ex natura rei. Cum ergo in præsentī, fundamentum & relatio non sint mutuo separabilia, vt est per se notum apud omnes, quia nullo modo potest intelligi relatio prædicamentalis sine fundamento, non potest maior, aut alia distinctio, quæ in re actu sit, interuenire inter relationem & fundamentum, præterquam modalis. Quamuis ergo dicti authores aliis vocibus vtantur, appellantes hanc distinctionem, formalem, tamen necesse est, vt de modali loquantur, si tamen de actuali distinctione, quæ in rebus ipsis existat, suam sententiam intelligant, nam aliqui eorum non satis hoc ipsum explicant, vt inferius dicemus.

Suadetur dicta opinio.

X. PRæcipuum autem fundamentum huius sententia sic expositæ de modali distinctione est illud, quod ex signo separationis sumitur. Nam fundamentum est ita separabile à relatione, vt possit in re manere sine illa: ergo necesse est, vt in re ipsa distinguantur, saltem modaliter, iuxta principia superius posita disputat. 7. Secundo hoc satis apparenter confirmat illa ratio; quod relatio habet proprium esse, intrinsece consistens in habitudine ad aliud: ergo oportet, vt in re ipsa distinguatur ab esse absoluto, Tertio id declaro in hunc modum, quia quando existente vno tantum albo, verbi gratia, quod antea nulli erat simile, fit aliud albu, vel illud prius habet aliquod esse reale respectu quod antea non habebat, vel nihil habet de nouo: Hoc secundum dici non potest, alias relatio nihil rei est, quia si antea nihil erat, & postea nullum esse reale recipit, nunquam est aliquid: ergo necessario dicendum est illud primum: ergo illud esse respectu quod additur, necessario debet esse distinctu ab eo cui additur, saltē modali distinctione. Nam si vnum erat & aliud nondum erat, & postea additur seu consurgit, non possunt esse vnum & idem in re.

XI. Quarto, nam cum vna res dicitur similis alteri, vel vnus homo pater alterius, vel istæ sunt denominationes mere extrinsecæ, aut sunt intrinsecæ. Primum dici non potest, ergo necessario dicendum est secundum: ergo necessaria est aliqua forma intrinsece denominans: ergo illa necessario esse debet distincta ex natura rei, saltem modaliter à re denominata. Minor probatur primo, quia si esset denominatio extrinseca, vt sic non esset respectiva, quia potius esset veluti applicatio forme extrinsecæ ad subiectum denominatum, quā habitudo ipsius subiecti ad terminum extrinsecum. Secundo quia ob hanc causam denominatio vestiti, aut loco circumdati, aut etiam agentis, non est respectiva proprio respectu prædicamentali. Tertio & difficilius, quia alias non minus esset relatio realis creatoris ad creaturam, quā cuiuslibet agentis creati ad suum effectum: nam extrinseca denominatio æque potest intercedere. Secunda item cōsequencia clara est, quia denominatio intrinseca dicitur, quæ ab intrinseca forma sumitur. Vltima vero cōsequencia nititur in fundamento sepe repetito: quod hæc denominatio amitti potest, &

acquiri de nouo, conservando omnem formam absolutam: ergo forma intrinseca & respectiva, à qua sumitur, est in re aliquo modo distincta ab omnibus formis absolutis saltem modali distinctione. Atque hæc sententia ita explicata & confirmata est probabilior cæteris, quæ in re ponit distinctionem aliquam actualem inter relationem & fundamentum. Quæ si semel asseritur in aliquibus relationibus, consequenti ratione ponenda est in omnibus creatis & prædicamentis, quia nulla est sufficiens ratio aduertendum aliquā distinctionem, vt ex dictis contra Scot. & Dur. intelligi potest.

Quinta opinio negans in re actualem distinctionem relationis à fundamento.

Nihilominus est alia sententia extreme his opposita, quæ negat relationem distinguere in realia distinctione actuali à suo fundamento absoluto, sed tantum aliqua distinctione rationis habere in rebus aliquod fundamentum. Hanc sententiam docent multi Theologi, præsertim Nominales in 1. distinct. 30. Ocham quæstione 1. & distinct. 31. quæst. 1. Gregorius distinct. 29. quæst. 2. art. 2. & in eadem sententia aperte est Egidius in 1. distinct. 26. quæst. 4. dum ait, relationem nullum esse proprium habere ultra esse fundamenti, neque aliquam compositionem ei adiunctam, quod non potest esse verum, nisi ratione omnimodæ identitatis in re ipsa: Eandem plane tenet Syluester in conslato, quæstione 28. dubio primo, vbi ait, relationem esse eandem rem cum suo fundamento proximo. Et quamuis addat distinguere formaliter, tamen statim satis declarat, eam distinctionem solum esse rationis ex diuersitate conceptuum, quatenus eadem res solitarie sumpta absolute concipitur, posita vero alia, concipitur relatiue, nihil penitus in ea addito vel variato quoad rem ipsam. Expressius vero & melius hanc sententiam docet & tractat Heruæus in distinct. 30. articul. 1. & quodlib. 7. quæstione decimaquinta & quodlib. 10. quæstione prima. Qui etiam declarauit, has denominationes relatiuas sumi ex consortio plurium rerum absolutarum, & non ex peculiaribus entitatibus, aut modis ex natura rei distinctis, quos addant ipsis rebus absolutis.

Habetque hæc sententia fundamentum in Diuo Thoma, opusculo 48. cap. 2. de Ad aliquid, vbi sic ait Cum autem dico, quod similitudo sortis habet albedinem eius vt fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo sortis sit aliqua res in sorte, alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum. Idque statim confirmat ratione supra facta, scilicet, quia alias non posset similitudo alicui aduenire sine eius mutatione: quæ ratio tam probat de modo reali ex natura rei distincto, quā de propria realitate. Vnde etiam fundatur hæc sententia in illo dicto Philosophi, 5. Physicorum, textu 10. quod relatio aduenit rei, ipsa immutata manente. Et simili modo sumitur eadem sententia ex Anselmo in Monolog. cap. 24. quem locum inferius referemus latius tractando de relationibus non mutuis: & similis fere est apud Augustinum libro quinto, de ciuitate Dei cap. 16. Fauent denique huic sententiæ verba Damasceni in sua dialectica, capite quinquagesimo: Oportet ea, quæ aliquid dicuntur, prius ad aliud prædicamentum reduci tanquam separatim considerata, & tunc demum vt habitudinem, & affectionem ad alterum habentia, ad ea, quæ ad aliquid sunt, referri quippe prius aliquid sine habitudine ac relatione esse necesse est, ac tunc habitudinem in ipso considerare: quam Damasceni sententiam de relationibus non subsistentibus intelligendam existimo; nam alia est de subsistentibus ratio.

Ratio-

XIV. Rationes pro hac sententia præcipue sunt illæ, quibus aliz opiniones, quæ distinctionem in re ponunt, improbantur: nam illis seclusis, à sufficienti partium enumeratione hæc sententia concluditur. Deinde ex re ipsa, quia hæc distinctio rationis, & hic modus denominationis sufficit ad omnia, quæ de rebus absolutis relatiue dicuntur, ut videntur etiam convincere rationes primo loco positæ in principio sectionis præcedentis. Si autem hoc sufficit, superfluum est quippiam addere, nam distinctio ac multiplicatio rerum ac modorum realium fingenda aut asserenda non est absque necessitate, vel ratione sufficiente.

XV. Tertio possumus retorquere argumentum illud de separabilitate: nam positus, v. g. duobus albis, impossibile est etiam de potentia absoluta facere, ut non sint similia ergo hæc denominatio non sumitur ex aliqua re, aut modo reali distincto ex natura rei ab vtroque albo, simul sumpto. Alioqui cur repugnaret Deum auferre modum illum, si in re ipsa distinctus est aut cur non posset impedire resultantiam talis modi? Nam si hæc est circa rem distinctam aliquam efficientia est, quæ sine influxu Dei esse non potest: poterit ergo Deus suum in fluxum suspendere, & illam resultantiam impedire. Quod aliqui argumento conuicti concedunt ut Mairon in i. dist. 29. q. 2. At tunc interrogo an illa duo alba maneant similia, necne: hoc posterius non potest mente concipi, cum retineant eandem unitatem in albedine: si vero dicatur primum, conuincitur, modum illum distinctum, & resultantiam, quæ nunc fingitur, esse sine fundamento adinuenta, cum sine illis maneat vera similitudo. Signum ergo est hanc denominationem non sumi, nisi ab his absolutis coexistentibus, & eodem modo se habentibus. Vnde, ut supra dicebam, quod per ablationem termini cesset illa denominatio, nullum argumentum est quod similitudo sit aliquis modus realis ex natura rei distinctus ab albedine, sed solum est argumentum quod ipse terminus in re distinctus à fundamento & aliquo modo concurrat, vel necessarius est ad complendam talem denominationem: hoc enim sufficit, ut illo ablato cesset denominatio, etiam si nihil rei auferatur à re denominata. Ergo ex inseparabilitate relationis posito fundamento & termino, potius inferatur omnimoda identitas in re, seu (quod idem est) infertur relationem denominationem nihil rei addere supra omnes res absolutas.

XVI. Quarto urget argumentum illud, quod res sit similis vel æqualis alteri, sine vlla sui mutatione, per positionem alterius, nam siue similitudo sit res omnino distincta, siue modus realis ex natura rei distinctus, non potest de nouo aduenire aliquid absque illius mutatione. Aliqui respondent, motum respectuum non sufficere, ut ratione illius solius res dicatur mutata, quia non est aliquid, sed, ad aliquid, & quia totum fundamentum à quo illa relatio habet suam entitatem, iam præexistit in re. Hoc vero non satisfacit, quia illa verba, scilicet, relationem non esse aliquid, sed ad aliquid, vel inuolunt repugnantiam, vel sunt valde æquivoca, & minime ad rem. Nam si non esse aliquid, absolute & transcendentem sumatur, sequitur plane relationem esse nihil, & esse aliquid, nihil rei esse, ut supra argumentabar. Si vero contractius sumatur esse aliquid, ut idem sit quod esse rem vel modum absolutum, petitur principium, & non soluitur, sed eluditur argumentum. Nam quamuis relatio non sit aliquid absolutum, si tamē est aliquid rei, nouum, & ex natura rei distinctum ab omni eo, quod antea erat: ergo ratione illius vere ac proprie intrinsece aliter se habet res, quam antea se habebat: ergo vere mutata est. Neque etiam sufficit ad vitandam mutationem, quod totum relationis fundamentum præexistat, quia non diximus rem mutari propter fundamentum, sed propter id, quod additur fundamento, quod dicitur esse aliquid rei, & ex natura rei distinctum

ab ipso. Vnde iuxta hanc sententiam non potest consequenter dici, quod relatio habeat suam propriam, seu modalem entitatem ab ipso fundamento formaliter, sed ad summum radicaliter, quatenus ab ipso fundamento pullulat relatio posito termino: hoc autem non excludit veram mutationem, quandoquidem aliquid nouum & distinctum sit in re, etiam si ab intrinseco manet.

Vnde aliqui tandem fatentur, per aduentum nouæ relationis seu denominationis relatiuæ fieri in re ipsa relata veram mutationem realem, non quidem per propriam actionem, sed per intrinsecam dimanationem. Aristotelem autem non esse locutum vniuersè de quacunque mutatione communissime sumpta, sed de illa quæ per propriam actionem & passionem fit. Veruntamen, quamuis hæc responsio consequenter procedat supposita dicta sententia, possitque facile defendi ad effugiendum testimonium Aristotelis in citato loco 5. Phys. tamen per se se considerata quippiam dicit creditu difficillimum, & nullo sufficienti signo aut experimento fundatum, nimirum quoties aliquis de nouo fit albus aut calidus pullula re in omnibus aliis rebus calidis aut albis, quæ sunt in mundo aliquid nouum & reale, vere ac proprie vnicuique inhærens. Ut enim in superioribus videretur satis probatum, ad solas illas denominationes, similis, æqualis, & huiusmodi non est necessaria illa resultantia noui realis modi, & entitatis: secluso autem hoc signo nullum est aliud vnde colligi possit: gratis ergo & sine probabilitate fingitur. Accedit, quod illa qualiscunque mutatio vel acquisitio illius noui realis modi vel entitatis, non potest esse sine efficientia, saltem per modum resultantiæ, quia omnis mutatio, eo modo quo talis est, includit actionem proportionatam. Inquiri ergo, an illa efficientia sit ab ipso termino in fundamentum, vel ab ipso fundamento in se ipsum per naturalem resultantiam. Primum à nemine asseritur, neque est probabile: quomodo enim terminus ageret simul in res pene inhnitas, & quatumcunque distantes? Item, quia si ita fieret relatio, nihil ei decederet, quominus per propriam actionem & per se fieret ab extrinseco agere. Denique, quia relatio intrinsece conuenit rei posito fundamento & termino: non ergo pendet ex sufficientia extrinsece agentis. Secundum etiam improbari potest, quia talis efficientia, etiam si sit ab intrinseco principio, erit per propriam actionem, & consequenter per propriam mutationem, quia licet talis resultans non sit nisi posito termino, id solum erit, quia terminus est aut necessaria conditio, ut relatio resultet, aut quasi obiectum specificans, sine quo esse non potest: hoc autem non obstat, quominus resultantia, quæ fit ex fundamento, sit per propriam actionem, quæ in tali subiecto sit absque ipsa actione, quæ tunc in illo interueniat. Sicut descensus deorsum naturaliter resultat ex gravitate lapidis ablato impedimento, & nihilominus sit per propriam actionem & mutationem. At denique hic habet locum argumentum sæpe tactum, quod talis resultantia, & qualiscunque efficientia non potest esse sine concursu Dei, quem ipse potest suspendere. Et quamuis ponamus illum suspendere, & consequenter nullam interuenire resultantiam realem, adhuc intelligimus res esse similes, vel æquales, positis talibus extremis: ergo nullum signum est talem resultantiam vel mutationem interuenire.

Tractatur opinio distinguens inter esse in, & esse ad relationis.

XVII. Quapropter alii ut huic difficultati respondeant quadam distinctione vtuntur: & posset hæc referri ut sexta opinio in præsentia questione, quæ tractamus de distinctione relationis & fundamenti. Distinguunt ergo in relatione esse in & esse ad: & dicunt relationem secundum esse in, non resultare proprie,

XVII.

Admittentes mutationem fundamentum per resultantiam relationis ut explicat Aristoteles.

XVIII.

prie, nec pullulare à fundamento, sed resultare motum secundum esse ad vt ad : & idcirco non mutari fundamentum per ealem resultantiam, quia res non mutatur nisi per id, quod de nouo ei inest, atq; adeo secundum esse in. Ex qua distinctione plane efficitur, relationem secundum esse in, non distingui ex natura rei à fundamento, quia necessario conuenit illi, etiam antequam terminus existat, seu independenter à termino: at vero esse ad, distingui ex natura rei, id-eoque posse resultare ex fundamento posito termino.

XIX.

Quot in conuenientia ex allata opinione oriuntur.

Primum.

Quapropter hæc sententia multa inuoluit impossibilia, & quæ non satis intelligi possunt. Primum, quia ex illa sequitur, in vna & eadē relatione distinguenda esse actualiter & ex natura rei, esse in, & esse ad: nā esse in, dicitur esse in re idem & distinctum à fundamento, esse autem ad, dicitur actu distinctum in re à fundamento: ergo esse in, & esse ad, erunt inter se actu distincta, nam quæ ita comparantur ad vnum tertium, vt vnum sit idem cum illo, aliud vero minime, neq; etiam inter se possunt esse idem. Consequens autem est impossibile, quia esse in, & esse ad, comparantur tanquam superius & inferius, seu tanquam commune vel transcendens, & modus determinans seu modificans illud, quæ impossibile est esse in re distincta, vt in superioribus traditum est.

XX.

Secundum.

Secundum inconueniens est, quia sequitur, esse ad relationis realis creatæ vt sic, non esse accedens alicuius, & consequenter non constituere verum accedens reale, quod est contra rationem huius prædicamenti. Sequela patet, quia illud esse ad non includit essentialiter esse in, cum ab illo ex natura rei distinguatur, & præscindatur. Item, quia si illud esse ad esset accedens alicuius, illud afficeret, & de nouo ei adueniret, & ita redit difficultas quam tractamus, quod nimirum ex resultantia ipsius esse ad, mutaretur res seu fundamentum ex quo resultat. Sed aiunt, esse ad vt ad, non esse aliquid reale, & ideo mirum non esse, quod neque sit accedens, neq; inest, neq; immutet relationem quod denominat. Sed hoc, neq; est vere, neq; consequenter dictum, si vniuocè terminis vtamur, & præsertim, iuxta dictam sententiam, quæ supponit relationem realem esse aliquid in re ipsa, quod in rebus sit, & secundum aliquid sui in re ipsa à fundamento distinguatur. Quamuis enim loquendo de esse ad vt attribuitur relationibus rationis, illud non sit aliquid reale, tamen, vt infra ostendam, illud solum æquiuocè, vel ad summum secundum analogiam quædam proportionalitatis, appellatur esse ad, de quo nunc non est sermo, sed de vero esse ad, quod reale prædicamentum accidentis constituit: illud autem non potest non esse aliquid reale, alias quomodo posset verum accedens reale constituere? Aut quomodo posset relatio esse intrinseca forma referens suū subiectum ad terminum, si non afficeret illud secundum propriam rationem suam & consequenter etiam secundum ipsum esse ad?

XXI.

Et confirmatur, nā quoad hoc eadem est fere ratio de ipso esse in, potest enim æquiuocè, vel analogicè sumi, vt attribuitur entibus rationis, sic enim dicitur cœcitas esse in oculo: ergo vt sic esse in, non dicit aliquid reale: nihilominus tamen verum esse in reale est, quod accedens reale constituit. Simili ergo modo philosophandum est de vero esse ad, quod nimirum sit quippiam reale, vnde fit, vt necessario esse debeat aut intrinsece subsistens, quod dici non potest de relatione accidentali, aut intrinsece inherens, quod intendimus. Igitur, si esse ad relationis realis est quid distinctum ex natura rei à fundamento talis relationis, etiam si esse in proprium & intrinsecum talis relationis erit distinctum, vel è conuerso, si nullum esse in relationis distinguitur ex natura à fundamento, neque esse ad distinguetur. Vnde tamen argumentor, quia impossibile est, vt relatio secundum esse ad, resultet à fundamento, tanquam quid reale ex natu-

ra rei distinctum ab ipso, quin illud ipsum reale, quid quid est, alicubi inest, nam vel in se existit, & sic erit subsistens, vel ab aliquo sustentatur, & ita illi inest: ergo, vel inest in termino, quod dici non potest, vt per se notum est, vel inest in proprio subiecto seu fundamento, & ita ab illo distinguitur tale esse ad, etiam secundum proprium esse in, quod intrinsece includit. Est ergo vana illa distinctio ad præsentem rem explicandam, nec per illam vitatur difficultas tacta: quod per relationem resultantem mutetur aliquo modo res relata, si relatio secundum proprium esse reale est aliquid ex natura rei actualiter distinctum à suo fundamento.

Quinta sententia conuenienter exposita approbatur.

Inter has ergo sententias mihi maxime probatu-
XXII.
quinta, quam Heraclitus, & nonnulli alii Thomæ docuere, à quorum sensu fere nihil discrepat Nominales, & Aristoteles, & D. Thom. multum fauent, vt vidimus. Hæc tamen sententia ita est interpretanda, vt non intelligatur, rationem formalem relationis nihil esse, aut denominationem relatiuā esse mere extrinsecam sumptam ab aliqua forma absoluta: iuxta hunc enim sensum omnino euerteretur, & è medio tolleretur reale prædicamentum ad aliquid. Sed intelligendum est, relationem quidē dicere formam aliquam realem, & intrinsece denominantem proprium relatiuum, quod constituit illam verò nō esse rem aliquam aut modum, ex natura rei distinctum ab omni forma absoluta, sed esse in re formam aliquam absolutam, non tamen absolute sumptam, sed vt respicientem aliam, quam denominationi relatiuā includit seu connotat. Ita vt similitudo, v. g. aliqua forma realis sit existens in re, quæ denominatur similis: illa tamen non fit in re distincta ab albedine, quantum ad id, quod ponit in re, quæ dicitur similis, sed solum quantum ad terminum quem connotat: & ita similitudo in re non est aliud, quam ipsa albedo vt respiciens aliam albedinem, tanquam eiusdem seu similis rationis. Atq; hæc distinctio rationis sufficit, cum ad diuersas loquendi formas, tum etiam ad prædicamentorum distinctionem: nam vt supra diximus, prædicamentalis distinctio interdum est sola distinctio rationis cum aliquo fundamento in re, vt de actione etiam, & passionē, & de aliis prædicamentis inferius dicemus. Atq; hæc sententia magis declarabitur, tum ex solutionibus argumentorum, tum etiam ex sequentibus sect.

Fundamentis aliorum opinionum satisfi.

Fundamenta ergo primæ, secundæ, tertię, & sextæ opinionis, inter eas referendas & impugnandas tacta sunt, & soluta: neque aliquid aliud argumentum occurrit, quod in fauorem earum difficultatem aliquam ingerere possit, cui satisficere necesse sit. Solum ergo super sunt soluenda argumenta quartæ opinionis. Et primum quidem de separabilitate relationis à fundamento iam solutum est: negamus enim, relationem separari vnquam à fundamento secundum aliquid reale, quod ei intrinsecum sit. Sed solum contingi, separari aut destitui terminum: quo ablato cessat etiam relatiua denominatio non quia aliquid rei vel realis modi auferatur ab ipso relatiuo sed quia denominatio relatiua includit aliquo modo terminum, sine quo non manet actualiter, sed fundamentaliter tantum, seu in proxima aptitudine. Ad secundum responderetur, esse relationis in re non esse secundum responderetur, ratione tamen distingui, aliud ab esse fundamenti, ratione tamen distingui, quatenus illudmet esse concipitur vt includens aliquo modo, seu connotans terminum quem respicit. Ad tertium respondeo, quando vnum album de nouo fit, nihil rei de nouo addi altero albo, vt de claratu & pro-

& probatum est. Neque inde sequitur relationem similitudinis nihil esse, sed solum sequitur non esse aliquid distinctum ab albedine, quæ antea inerat tali rei albæ. Cum autem instatur, quia prius in tali realba non erat similitudo, & postea est similitudo: ergo vel similitudo nihil rei est, vel aliquid rei de nouo est in illa realba. Respondetur negando consequentiam quoad utramque partem, nam præter illa duo membra est aliud tertium, nimirum aliquid rei esse de nouo, non in re quæ prius erat alba, sed in termino, qui de nouo factus est albus: quem terminum aliquo modo includit seu connotat illa res, quæ est similitudo sub ratione albedinis. Ad quartum respondetur, has denominationes respectiuas, non esse mere extrinsecas, vt recte ibi probatur. Vnde consequenter concedimus, huiusmodi denominationem esse ab aliqua forma intrinseca: includendo tamen seu connotando aliquam aliam extrinsecam in extrinseco termino. Ac propterea negatur vltima consequentia, nimirum hanc formam sic denominantem intrinsece cum habitudine ad extrinsecum, debere esse ex natura rei distinctam saltem modaliter, ab omni forma absoluta: nam supposito termino extrinseco ipsamet forma absoluta secundum rem sufficit ad talem denominationem tribuendam, quæ auferri, vel cessare potest per solam ablationem extrinseco termini, vt dictum est.

Satisfit argumentis ex sectione prima relictis.

XXIV. EX his etiam, quæ in hac sectione dicta sunt, soluta manent multa ex argumentis propositis in principio sectionis præcedentis. Nam quod ad primum attinet, iam explicatum est quomodo ipsum esse ad relationis realis & accidentalis, sit aliquid in re ipsa quæ refertur dicitur. Falsumque est, esse ad vniuocæ dici de relationibus rationis, & realibus. Falsum item est verum esse ad posse ita præcise ab esse in, vt illud intrinsece non includat: ad eum modum quo in superioribus diximus, modos entis non posse ita præcise ab ente, quin illud in se claudat. De secundo item argumento, nimirum, quod relatio adueniat sine mutatione fundamenti, satis multa dicta sunt, concedimus enim inde recte concludi, relationem non esse aliquid in re distinctum à fundamento, non tamen non esse aliquid rei. Vnde ad tertium negatur prima consequentia, scilicet, relatio nihil est præter absoluta: ergo simpliciter nihil est, si in antecedente illa particula præter indicet æqualem distinctionem ex natura rei. Nam licet relatio non sit aliquid in re distinctum ab absolutis, potest esse aliquid ratione distinctum: & ideo non sequitur qd sit simpliciter nihil. Neq; refert, quod relatio vt relatio præcise dicitur ab absolutis, quia neq; præcise dicitur vt aliquid per rationem confictum, neq; etiam vt aliquid in re ipsa præcise & distinctum, sed vt aliquid verum & reale ratione sola præcise: sæpe enim distinctio est rationis inter extrema vera & realia, quæ ad prædicamenta constituta sufficiunt: vnde probationes omnes, quæ in illo tertio argumento afferuntur, viles sunt ad declarandum, quomodo relatio realis non addat rebus ab solutis rem, vel realem modum, ex natura rei distinctum ab ipsis, non tamen quicquam valent ad concludendum huiusmodi relationem nihil omnino esse.

XXV. Duo tamen in illis argumentis cauenda sunt. Primum est, cum dicitur denominatio respectiva consergere ex coexistentia plurium absolutorum absq; vlla reali additione, nõ esse intelligendum, illam denominationem æque ac simul sumi ex pluribus formis absolutis, vna intrinseca, & altera extrinseca. Sed intelligendum est, illam denominationem requirere quidem consortium, seu coexistentiam talium rerum seu formarum: tamen in vnoquoque extremo sumi à propria forma vt respectiue aliam, quæ vt sic habet

Tom. II. Metaphys.

rationem relationis, quamuis in re nõ sit alia ab ipsa forma absolute. Secundo (propter exemplum quod ibi adducitur de Deo quatenus denominatur dominus, vel creator, &c.) cauendum est, ne quis existimet huiusmodi denominationes esse eiusdem modi & rationis in omnibus: id enim verum esse non potest iuxta communem doctrinam, quæ distinguit relationes in mutuas & non mutuas: quæ distinctio nulla esset si prædictæ denominationes omnes essent eiusdem modi in omnibus extremis. Quæ autem sit hæc diuersitas, non est facile ad explicandũ iuxta doctrinam ac sententiam quam defendimus. Quapropter de hac re erit inferius specialis Sectio instituenda: nunc solum dicimus, quando in re denominata est aliquid propriũ & proportionatũ fundamentum talis denominationis, tunc provenire ex propria relatione reali: quãdo vero attribuitur rei sine tali fundamento, tunc denominationem esse extrinsecam seu rationis.

SECTIO III.

Quotuplex sit relatio, & quæ sit vere prædicamentalis.



Ac dubitatio proponitur propter difficultatẽ tactam in quarto argumento in prima sectione proposito. Ad quam expediendam nonnullæ distinctiones relatiuorũ præmittendæ sunt. ac declarandæ, vt seclusis iis, quæ ad hoc prædicamentum non pertinent concludamus quale possit esse genus accidentis realis ab aliis diuersum, & proprium prædicamentum ad aliquod constituens.

Prima diuisio relationis, in realem, & rationis.

PRIMO ergo diuidi solet relatio in eam quæ realis est vel tantum rationis: quam aliqui ita interpretantur, vt doceant, genus prædicamenti ad aliquid utramque relationem sub se continere, ac propterea illam diuisionem esse vniuocam, imo & generis in species. Cui sententiæ videtur fauere Diuus Thom. 1. part. quæst. 28. artic. 1. vbi sic inquit, Considerandum est, quod solum in iis, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliquæ secundum rationem tantum, & non secundum rem. Sentit ergo ea quæ secundum rationem, tantum referuntur, vere ac vniuocæ esse ad aliquid: nam si tantum esset sermo de denominatione æquiuoca vel analoga, non tantũ in his quæ sunt ad aliquid, sed etiam in aliis generibus inuenirentur aliqua secundum rationem tantum, vt cœcitas in qualitate, & sic de aliis. Idem sumi potest ex art. 2. eiusdem quæst. & ex qu. 13. artic. 7. & quodlib. 1. artic. 2. quodlib. 9. artic. 5. & quæst. 2. de potent. art. 5. & sæpe alibi. Vnde Caietan. dictis locis 1. part. aperte sentit ipsum esse, ad vniuocæ dici de relatione reali, vel rationis, quod antea videtur docuisse Capreol. in primo, distinct. 33. quæst. 1. & sequi videtur ibi Deca quæst. 1. notab. 4. & Ferrar. 4. contra Gent. cap. 14. & expressius Soncin. 5. Metaph. quæst. 26. concl. 2. qui afferunt alia testimonia D Thomæ. Fundamentum eorum est, quia definitio relatiuorum quam Aristoteles tradit, & proprietates omnes quæ ad illam consequuntur, æque conueniunt relationibus rationis, ac realibus. Patet, nam realitua esse dicuntur, quorum totum esse est ad aliud se habere: hoc autem omnino & propriissime conuenit respectibus rationis, nam licet esse eorum sit magis imperfectum ac diminutum, quam esse relatiuorum realium, tamen illud esse qualecunque est, tam proprie consistit totum in habitudine ad aliud, sicut esse relationis realis. Vnde fit, vt relatio rationis nec cognosci possit, nec definiri sine habitudine ad aliud, æque ac relatio realis.

Vu

Sola